UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XXIX. Qualiter instante tribulatione Deus invocandus est, & benedicendus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45780

Visual Library

Si ambulas ab intra, non multum ponderabis volantia verba.

Eſt non parva prudentia, ſilere in tempore malo, & introrſus ad me converti, nec humano judicio diſturbari.

2. Non ſit pax tua in ore hominum: ſive enim bene, ſive male interpretati fuerint, non es ideo alter homo. Ubi eſt vera pax, & vera gloria, Nonne in me?

Et qui non appetit hominibus placere, nec timet diſplicere, multa perfruitur pace.

Ex inordinato amore, & vano timore oritur omnis inquietudo cordis, & diſtractio ſenſuum.

CAPUT XXIX.

Qualiter inſtante tribulatione Deus invocandus eſt, & benedicendus.

1. Sit nomen tuum Domine, benedictum in ſecula: quia voluiſti hanc tentationem, & tribulationem venire ſuper me.

Non poſſum eam effugere, ſed neceſſe habeo ad te confugere: ut me adjuves, & in bonum mihi convertas.

Domine, modo ſum in tribulatione, & non eſt cordi meo bene, ſed multum vexor a præſenti paſſione.

Et nunc, Pater dilecte, quid dicam? Deprehenſus ſum inter anguſtias: Salvifica me ex hac hora.

Sed propterea veni in hanc horam, ut tu clarificeris, cum fuero valde humiliatus, & per te liberatus.

Complaceat tibi; Domine, ut eruas me: nam ego pauper quid agere poſſum, & quo ibo ſine te:

Da patientiam Domine etiam hac vice. *Adjuva me Deus meus, & non timebo, quantumcumque gravatus fuero.*

2. Et nunc inter hæc quid dicam? *Domine fiat voluntas tua.* Ego bene merui tribulari, & gravari.

Oportet utique ut ſuſtineam, &

utinam patienter, donec tranſeat tempeſtas, & melius fiat.

Potens eſt autem omnipotens manus tua, etiam hanc tentationem a me aufferre, & ejus impetum mitigare, ne penitus ſuccumbam; quemadmodum prius & ſæpe egiſti mecum, Deus meus, miſericordia mea.

Et quanto mihi difficilius, tanto tibi facilior eſt hæc mutatio dexteræ Excelſi.

CAPUT XXX.

De Divino auxilio & confidentia recuperandæ gratiæ.

1. *Fili, ego Dominus confortans in die tribulationis.*

Venias ad me, cum tibi non bene fuerit.

Hoc eſt, quod maxime conſolationem impedit cœleſtem, quia tardius te convertis ad orationem.

Nam antequam me intente rogas, multa interim ſolatia quæris, & recreas te in externis.

Ideo